



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Prima Duo Sæcula Complectens

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 13322648

§. 3. Alia Melitonis opera.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66002)

vivitis immemores, quam illius immortalis, & Christianos ad mortem quaeritis, qui eum honorant. Plures Provinciarum Rectores horum hominum causa Divinum Parentem meum consultarunt, quibus respondit, non esse vexandos, nisi contra Romanum Imperium quidquam attentare videantur. Plures scripserunt & mihi, quibus juxta Parentis mei sententiam rescripsi. Si quis quemquam eorum tanquam Christianum in judicio persequatur, absolvatur reus, quamquam constet, esse Christianum. Insuper actio detur contra delatorem. Lectum Ephesi in Asiae comitiis.

Saeculum II.
A. C. 170.

§. III.

Alia Melitonis Opera.

Meliton praeter suam apologiam multa *Eus. IV. hist. c. 26.* alia opera super Doctrinam, & mores scripsit; eorum operum viginti septem numerantur, quorum nobis pauca fragmenta suppetunt. Inter alia erat collectio sententiarum brevium, & selectarum Scripturae, cognita omnibus, Catalogum Librorum veteris Testamenti continens. Initium huic operi his verbis fecerat: *Meliton fratri suo Onesimo salutem. Cum pro tuo in nostram Doctrinam affectu saepius me rogaveris, ut optima quaeque ex Lege, & Prophetis, ubi de Salvatore, & tota fide nostra agitur, ex-*

Sæculum II.
A. C. 170.

cerperem, tibi que veterum librorum numerum, & ordinem exacte traderem, in hoc studium omnem operam impendi; sciens, quod ex zelo pro Dei honore, & cura salutis tuæ hanc scientiam omnibus aliis præferas. In hunc finem in Provincias Orientis profectus sum, & in illa loca, ubi fidei nostræ Mystera primum prædicata, & adimpleta sunt; jam quales sint libri veteris Testamenti didici, & ecce tibi eorum Catalogum. Quinque Moysis; Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. Jesus Nave, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Psalmi David, Proverbia Salomonis, alias Sapientiæ, Ecclesiastes, Cantica Canticorum, Job. Prophetæ Isaias, Jeremias; duodecim in uno libro, Daniel, Ezechiel, Esdras. Horum a me extracta in sex libros divisi. Hic habemus primum Sacerarum Scripturarum catalogum auctore Christiano concinnatum. Judæorum Catalogo est conformis, & viginti duos libros continet, si cum iisdem Regum duos, & Paralipomenon unum numeres. Unum tamen, scilicet librum Esther, quem Judæi authenticum credant, Meliton omisit; itaque quamcunque diligentiam impenderit, catalogus ejus omnibus numeris absolutus non est. Necdum omnes Ecclesiæ in hac materia satis erant instructæ; nec omnes libri

Cano-

Hier. prol. galeat.

Canonici ad notitiam omnium Ecclesiarum pervenerant. Mirum vero hoc ipsum nemini videatur, cum quasdam Ecclesias sine omni Scriptura substituisse, S. Irenæus testatum faciat. (*)

Sæculum II.
A.C. 170.

Lib. III. c. 4.

In quodam Tractatu de Paschate Meliton tempus, quo eum scripserit, notat, sic enim incipit: *Cum Servilius Paulus esset Proconsul Asia, quo tempore Sagaris Martyrium subiit, magna quaestio in illis diebus exorta est de Paschate, tuncque hoc scriptum est.* Hæc sunt omnia, quæ de operibus Melitonis habemus. Martyr Sagaris, cujus mentionem facit, erat Episcopus Laodicensis, ibique mortuus est; in eadem erat cum Melitone sententia, Pascha decima quarta lunæ esse celebrandum. Meliton Sardis sepultus est; erat Eunuchus; cæterum vir vitæ sanctitate, claritate ingenii, & stili elegantia celebris. Multi Prophetiæ dono præditum credidere.

Hier. lib. IV. c. 23.

Polyc. apud Euf. lib. V. c. 24. Hier. de script.

§. IV.

Alii Scriptores Ecclesiastici.

Circa idem tempus Apollinaris Episcopus Hierapolitanus, illustri fama Melitoni

Euf. hist. IV. c. 27.

Nn 5

lioni

(*) Ecclesiæ illæ, quas S. Irenæus testatur sine omni Scriptura extitisse, certe non fuerunt Lutheranae, quæ, rejecta auctoritate humana, in sola Scriptura fundari dicuntur.